


SER. Benest, quod iam es tranquillior. — AT. Nonne quieta sum?  
Ne in caeco quidem busto maius silentiumst.  
SER. Adest en'ara Proserpinae. — AT. Illoc ire ad deam volo.  
MA. Nam quid mulier hic ista volt in hoc consilio?  
SEX. Amice, mitte eam; nam quom de vita civis agitur,  
Tum coniugem decet excitare misericordiam.  
AT. Illoc, mi gnati, illoc adspicite! — SER. Heu quam torviter  
Eius oculi torquentur! — AT. Absterge madidas comas  
Mihi de oculis. Adspicite, Serani, ocelli ardent mihi.  
SER. Pro di immortales! — AT. Hau cor meum! — SER. Quiesce dum,  
[matercula].  
AT. Mihi cor ardet, cor meum! — SER. Et meum, testes sunt dii.  
AT. Tuomne? credo ecastor, orbe misere. At illoc adspice,  
Ibi cives sibi creare consulem solent.  
Angore et exspectatione sum anxia... Sed eccum venit  
Meus vir Regulus. Tristis est animus et laetor tamen,  
Quia meus vir olim consul Romanus creatus est.  
Sed quidnam nunc ego laetor? sed quare gaudeo?  
SER. Nunc de patris creatione ad consulatum dixeras.  
AT. Inquisti de creatione? quis de illa loquutus est?  
Quasi vero res ad creationem venerit;  
Populus enim uno consensu exclamavit cum patribus.  
Tunc una modo vox atque unus clamor auditus est  
Et nomen Reguli sonuit per aërea ex Capitolio.  
Etiam dii vocem suam miscent mortalibus:  
Nubes scinduntur, aves mortuae de caelo decidunt.  
Heu, gnati, quom istanc vocem audissem, exsilii,  
Cor arbitrata mihi conscindier prae gaudio.  
Et nunc meum pectus quanta procella exuritur!  
MU. Ne fle, mater. — AT. At cor mihi scindetur hercle, sentio.  
SER. Ah! — AT. Tamen non gaudio, sed amaritudine.  
SER. Ah! — AT. Heu, amaritudine! — SEX. Serani! — SER. Quiescas  
[modo],  
Amice, nam quiescit istaec, paulo post se colliget.  
SEX. Edic modo nobis, sicne est semper haec miserabilis?  
SER. Momentum temporis modo relicta est animo.  
Ad hanc mihi redendum. Estote, cives, erga nos boni.


## SCENA IV

TULLUS, PRIORES.

TU. En iam profiscuntur homines ex Capitolio;  
Perfectumst sacrificium, di sunt nobis propiti.  
SEX. Res tota praepropere geritur et festinanter maxume.

(Ad proximum numerum)





Ann. XXV

Romae, mense Iunio MCMXXXVIII

Fasc. VI

*Pauca exemplaria reperta sunt*

IOANNIS B. FRANCESIA actionis dramaticae, versis senariis conscriptae,  
cui titulus:

## EUPLIUS

Venit libell. italic. 2; quibus addenda erunt libell. 0,60 in Italia;  
libell. 1 apud exteris nationes, pro transmissionis expensis.

Praeterea

Apud Commentarii Administratorem venumdantur IOSEPHI FORNARI  
Milesiae fabulae latine scriptae scenisque accommodatae apud  
ephebea facile agendis:

## FRIDIANUS-FRANCISCVLI PRANDIUM

Singulae pretio italic. libell. 2.

(*Ils vero qui extra Urbem hos libros mitti iubeant, addendum erit publici cursus pretium, iuxta normam libell. 0,60 pro singulis exemplaribus.*)

Pro lectoribus novisque sociis, qui **integram ALMAE ROMAE collectionem** habere cupiant ab anno MCMXIV ad expletum annum MCMXXXVII, paucorum exemplarium quae supersunt pretium constituimus libellarum 600 pro Italia; pretium duplicatum, libell. italic. scilicet 1200, pro exteris gentibus.

Hae vero collectiones, adiecta in litteris pecunia per nummariam syngrapham in Urbe exigendam, *recto tramite* requirendae sunt ab **ALMAE ROMAE** administratore (*Roma, 12, Via del Governo Vecchio, 96*): quod enim pretium positum est, non sinit ut foenus aliquod bibliopolis, vel mediatoribus quibusvis rependi possit.

# ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Pretium subnotationis an. MCMXXXVI est pro Italia libell. 15; pro ceteris nationibus summa italicas lib. 30 exaequans; *ante solendum rectoque tramite mittendum* sive ad JOSEPHUM FORNARI doctorem *Romam, Via del Governo Vecchio, 96* sive ad *Typographiam Polyglottam Vaticanam, Città del Vaticano*.

### Lyricorum christianorum incunabula

Hilarius pictaviensis post exilium apud Orientales partes in Galliam reversus, non solum Graecorum Patrum dogmaticam sapientiam, sed illum etiam apud Graecos constitutum morem in divinis officiis lyrice canendi, adduxit. Ipse quoque hymnos scripsit eosque apud Gallos invexit, sed novus ritus late non invaluit; attamen Ambrosius, Mediolanensis Episcopus, idem iter ingressus meliore fortuna usus est. Genus hoc lyricum hymnorum sacrorum, Mediolani quoque, sermone ac metrica immutatis, auctore Alessandro Manzoni, vitam clausit. Haec lyricalis poësis fructum prae se fert, temporum successionibus, ad maturitatem ductum, in quo ethnicorum lyricalis, baptismati renata, christiana effecta est. Ad rem Isidorus<sup>1</sup>: « Hilarius gallus, Episcopus pictaviensis, hymnorum carmine floruit primus... Post quem Ambrosius Mediolanensis Episcopus... copiosius in huiusmodi carmine claruisse cognoscitur, atque inde hymni ex eius nomine Ambrosiani vocantur, qui eius tempore primum in Ecclesia mediolanensi celebrari coeperunt, cuius celebritatis devotio dehinc per totius Occidentis Ecclesias observatur.

<sup>1</sup> *Offic. Eccles.*, I, 6.

Carmina autem quaecumque in laudem Dei dicuntur, hymni vocantur ».

Latiore cum acceptione *Hymni, Cantica, Psalmi* ( $\psi\alpha\lambda\mu\omega\acute{\iota}$ ,  $\bar{\nu}\mu\nu\acute{\iota}$ ,  $\phi\delta\acute{\iota}$   $\pi\nu\epsilon\nu\mu\alpha\tau\kappa\acute{\iota}$ ) vocata sunt illa carmina, quibus biblica nomen est, seu cantica a Moyse usque ad *Magnificat*, quae Dei laudes concinunt. His canticis annuit Sanctus Paulus ad Ephesios scribens: <sup>2</sup> «  $\kappa\acute{\iota}\ \mu\eta\ \mu\epsilon\theta\acute{\iota}\sigma\kappa\epsilon\theta\acute{\iota}\ \check{\epsilon}\eta\eta\omega$ , ut mos erat apud Ethnicos, sed Fideles potius hymnos canant impleti Spiritu Sancto ».

Carmina biblica non astringuntur legibus metricis, sed soluta quadam oratione, illum quem parallelismum docti vocant, offerunt. Ita Gregorius Nazianzenus scripsit, ut in hymno Christum canente:

$\Sigma\acute{\epsilon}\ \tau\acute{\omega}\ \check{\alpha}\phi\theta\acute{\iota}\tau\acute{\omega}\ \mu\eta\alpha\acute{\rho}\chi\eta\eta$   
 $\Delta\acute{\delta}\ \check{\alpha}\eta\eta\mu\eta\acute{\iota}\nu\acute{\iota}\eta\, \check{\delta}\acute{\delta}\ \check{\alpha}\eta\acute{\iota}\delta\acute{\iota}\eta\acute{\iota}\nu\acute{\iota}\eta$ .

Haec apud Graecos. Apud Latinos hymnorum usus adhuc in cunis erat, nam ante Ambrosium habebantur quaedam carmina tantum phaleucis versibus de *Exodo*, de *Numeris*, de *Deuteronomio* excerpta.<sup>3</sup>

Haeretici, Ariani potissimum, quo latius ac commodius suos errores diffunderent, hymnis usi sunt; quo gladio Ambrosius quoque uti voluit, ac felicius sapientiusque

<sup>2</sup> V, 18.

<sup>3</sup> *Spicil. Solesm.*, I, 187.

id effecit, contra Auxentium, fidem Nicaenam defendens. Id haeretici ei exprobarerunt, sed ipse in illa oratione, contra Auxentium habita, ita se defendit: <sup>4</sup> « Hymnorum quoque meorum carminibus deceptum populum ferunt... Certatim omnes student fidem fateri. Patrem et Filium et Spiritum Sanctum norunt versibus praedicare ». Accusationem refert eamque confirmat, quia fidelium salutem respiciebat.

Solemne Augustini testimonium hīc referendum est. Ipse anno salutis CCCLXXXVII baptismum accepit ab Episcopo Ambrosio quum hymni et cantica pie canerentur; <sup>5</sup> praeterea in vigiliis quum fideles obsecuti, Basilica Porciana, ut se defenserent, usi sunt, Iustinae iram carentes, « tunc hymni et psalmi ut canerentur secundum morem Orientalium partium, ne populus moeroris taedio contabesceret, institutum est ». <sup>6</sup> Ex quibus haec duo inferuntur:

1<sup>um</sup> Hymnorum usum apud Latinos ex Orientalibus partibus inventum esse.

2<sup>um</sup> Morem paraphrasandi carmina biblica apud Latinos etiam desiisse, cui nova et genuina carmina substituta fuerunt.

Apud Graecos, haereticus Harmonius <sup>7</sup> in deducendis carminibus lyricis maxime floruit, eumque Sanctus Ephrem imitatus est, ex quo, credi potest, Ambrosium etiam in suum hortum plura deduxisse.

Paulinus in vita Ambrosii affirmit: <sup>8</sup> « Hoc in tempore » quum Basilica Portiana ab haereticis obsidebatur, « antiphonae, hymni et vigiliae in Ecclesia Mediolanensi celebrari coeperunt ». Ex quibus testibus abunde patet ante Ambrosium hymnorum usum non exstitisse.

Sed hīc distinguendum est inter Ambrosii et Ambrosianos hymnos; nam ex Am-

<sup>4</sup> Cfr. Ep. XXI, 31.

<sup>5</sup> Confes., IX, 6.

<sup>6</sup> L. c.

<sup>7</sup> Ex hoc verbo Harmonius illud organum nomen duxit, quod nos Italici Armonium vocamus.

<sup>8</sup> XIII.

brosio quatuor tantum genuinos hymnos habuimus, id est:

- I. Deus Creator omnium,
- II. Aeterne rerum Conditor,
- III. Iam surgit hora tertia,
- IV. Veni, Redemptor gentium,

quum plurimi sint hymni, qui Ambrosiani vocantur. Isti saepius prosodiae et metrae legibus pessum dant, ita ut nonnulli inter doctos viros affirmaverint omnes hymnos, seu Ambrosii seu Ambrosianos, nullis legibus metricis adstringi. <sup>9</sup> Evidem ii sunt hymni, qui morem ab Ambrosio inventum sequuti sunt, sed prosodiae leges quibus Ambrosius obsecutus est, neglexerunt.

ALEXANDER AURELI.

## HISTORICAE NOTAE

### Italia antiqua <sup>1</sup>

In foedere, quod prae omnibus facile praestabat et opibus et cultus vitae ac territorii aptitudine, a traditione recensentur duodecim populi ex Etruria. Numerus fortasse symbolicus est: reperitur enim et in aliis; deinde quindecim populi memorantur. Patet inter Tiberim et Arnum; inter eius urbes sunt Tarquinii, forte antiquissima, Caere, Volci, Rucellae, Vetulonia, Populonia, Pisae, Volaterrae, Veii, Falerii, Perusia, Volsinii; singulis praeest singulus *Lucumon*, unde dicti sunt « duodecim locumones, id est reges »; omnibus praeest « *Lucumon foederis* », qui dein, in fontibus iuris, tempore historico, appellatur « *Dictator* », vel « *Praetor* », vel « *Sacerdos Etruriae XII populorum* »; quae serius facta sunt, quum iam non unus *Lucumon*, sed plures civitati praesunt, unde *Dictator* (seu *Zilax*) praeest, cui assidet

<sup>9</sup> WESTPALS, *Metrica graeca*, 2 aed., p. 59.

<sup>1</sup> Cfr. fasc. sup.

Edilis (*Marunux*) et *Purdne*, qui loco praetoris est. Regimen profecto « aristocraticum », in quo populus vocem non habet, quodque forsan productum est usque ad dominationem romanam; regimen collegiale, quod Romanorum proprium est, ignoratur penes Etruscos; patricii sunt Etrusci victores, plebei forsan Umbri devicti. Singulae urbes unum deligebant; singuli hi legati convocabantur quotannis ad « fanum Voltumnae », prope Volsinios, ubi et res foederis agebantur et communia festa celebrantur.

\* \* \*

Proculdubio et Sabini coadunantur in foedus, inter Anienem et Tiberim et Nar; eorumque caput primum forsan Reate, dein Cures. At mox sive Sabini occupaverint Latium, sive Romani Sabinam regionem, certo certius Sabini simul cum Romanis, uno veluti populo constituto, inveniuntur.

Umbri aut nullum aut debile prorsus foedus habuerunt, ideoque incursionibus vix obsistere potuere.

Sabelli vero arctius coniuncti apparent; linguam, religionem, ritus, symbola communia mordicus conservant, inter quae « *ver sacrum* », quo veluti coloniae huc illuc mittuntur. Eorum constitutio « democratica »: vici appellantur *Touto*; singulis vicis, pagis, urbibus praeest *Medix*; omnibus autem *Medix touticus*.

Eiusdem stirpis firmissima fuerunt foedus Aequorum, cuius caput Carseoli; Aequiculorum iuxta flumen Saltum, quod in Velinum influit; Praetutiorum, ubi nunc provincia Terami; Marsorum, ubi nunc Avezzano; Piceni, cuius caput Asculum.

Firmissimum profecto fortissimumque Sabelliorum fuit foedus Samniticum, quod cum Urbe ipsa unum contendit non de libertate, sed de imperio. Non Sabelliorum tantum gentem complectebatur, sed tres: Pentros seu veros Samnites, Hirpinos et

Caudinos; a valle Lirina ad sinum Salernitanum patebat; sed latius quotidie impetrare conabatur, huc Apuliam versus, illuc ad Campaniam, ut ad utrumque mare, inferius nempe et superius, pertingeret, omnemque paeninsulae centralem partem obtineret; quod factum profecto fuisse, ni Roma asperrimo illi obstitisset bello. Caput et centrum foederatarum illarum civitatum Bovianum, quod et Pentrorum caput; singulis praeest et illis *Medix*; foederi *Medix touticus*. Et quum eos Roma devicisset, foederatio Samnitica, imo singulae Samniticorum foederations (Pentrorum, Hirpinorum, Caudinorum) non illico dissolvuntur, sed manent adhuc; non enim uti singulae civitates, sed uti foedera in dicionem romanam excipiuntur.

\* \* \*

Atvero inter omnia potissimum valuisse foedus latinum ex historia novimus. Triginta urbium fuisse fertur; sed de numero disputatur. Cato in *Originibus* octo urbes, veluti exempli causa, numerat: Tusculum, Ariciam, Lanuvium, Laurentum, Coram, Tibur, Pometiam, Ardeam Rutulorum. Sedes huius foederis continebatur regione illa vulcanica, quae patet inter Apenninos, vel melius Apenninorum propagines et mare, intra Tiberim inferiorem, Anienem inferiorem et Colles Albanos; varias stirpes, quae iam a periodo palaeolithica huc convenerunt, alias vidimus. Nunc ex his variis elementis populus latinus exstructus est; iam latinae urbes existunt, aliae in montibus, veluti arces ad fines regionis, aliae ad molles Apennini clivos, uti Tibur et Praeneste; aliae per Albanorum colles, unde et Tusculum et Aricia et Lanuvium et Albalonga in planitiem speculanter. Albalonga omnium veluti cunae et mather et foederis primum caput habetur; nomen foederis a Iove Latario, cui in monte Albano, prae omnibus, regionis excelsum fanum sacrum erat, ubi et sacra et « feriae

latinae » celebrabantur: inferius nemus vibrabat circa fanum Diana, ubi ad fontem Ferentinam (prope hodiernum Marinum et Ariciam) conveniebat centrale consilium foederis, cui praerat « Dictator latinus », que magistratus foederis erat.

Omnis foederis urbes eodem iure fruuntur (*isopolytia*), et eo primum foedus intendit, ut iurgia eliminet inter foederis urbes, omniumque defensionem efficaciorem efficiat. Civitates foederis eodem quoque utuntur iure privato: cives gaudent iure connubii et commercii in singulis civitatibus foederatis; imo et iure migrandi, quo simplici commoratione domicilium acquiritur in qualibet civitate foederata. Foedus ius habet belli et pacis; non ita tamen ut hoc ademptum fuerit a singulis urbibus, apud quas idem ius integrum manet. Singulae communites igitur foedus ingressae non amittunt ullimode propriam libertatem; administrationem propriam, proprias copias conservant; quae, si quando foedus bellare debeat, omnes militant sub proprio rege. Quam rationem deinde et Roma adhucuit, sibi viam sternens ad imperia. Quin etiam hac rerum ratione fruitur Roma, ut ope foederatarum communitatum hinc aggredientes depellat, inde ipsa quominus eos aggredi possit non impediatur.

S. ROMANI.

## DE LATINI SERMONIS NOTIS SINGULARIBUS<sup>1</sup>

a) Latini voces significationis generalis libenter usurpant pro vocibus significatio- nis specificae.

EXEMPLA: *Iudicia* (= damnationes) — *Legis scriptum* (= consilium) — In datis litteris *diem* (= indicationem diei) com- mutare — *Numerus* (= magna copia) fru-

<sup>1</sup> Cfr. fasc. sup.

menti — *Periculum* (= periculum damnationis) — In *avaritia* (= venalitate) nobilitatis et pecunia sua spem habere (SALL., *Iug.*, 13, 5) — *Ingenium* (= phantasia, imaginatio) — *Vox* (= iussum, imperium) — *Hortensius clamores* (= plausus) *faciebat* (= excitabat) adolescens (CIC.) — Interdum matronae romanae festis diebus *moveri* (= saltare) iubebantur — M. Antonium omnis eruditio exspertem atque ignarum fuisse *magna* (= generalis) fuit opinio (CIC.) — Quaerere secum et agitare coepit, quibusnam rebus maximam uno anno pecuniam *facere* (= lucrari) posset (CIC.) — Paucissimos una *fecimus* (= transegimus) dies (CIC.) — Hi consules *facti* (= creati) sunt (CIC.) — Res illum divinas in suo sacrario quotidie *facere* (= celebrare) vidisti (CIC.) — Testamento heredem *fecit* (= constituit) filiam (CIC.) — Alii mercaturas *faciebant* (CIC.) — Deus nobis haec otia *fecit* (= de- dit) (VERG.) — Mox perniciem ipsis *fecere* (TAC.).

b) Substantivum « *res* » saepe locum tenet substantivi, cuius notio superius expressa est; et generatim cuiuscumque substantivi, cuius sensus ex contextu patet.

EXEMPLA: De ea *re* cognoscit quae homines eloquentissimi senserint (CIC.) — Iupiter, tuque adeo, summe sol, qui *res* omnes inspicis (EN.) — Ad eas *res* confiendas Orgetorix deligitur (CAES.) — Cognitio haec est una nostri, ut vim corporis animique norimus sequamurque eam vitam, quae *rebus* iis perfruatur (CIC.) — Qualis oratoris et quanti hominis in dicendo putas esse historiam scribere? Minime mirum si ista *res* adhuc nostra lingua illustrata non est (CIC.) — Mens hominis usque eo philosophiam ipsam corroborat, ut virtutem efficiat, ex qua *re* una vita omnis apta sit (CIC.) — Ex illis *rebus* universis eloquentia constat, quibus in singulis elaborare permagnum est (CIC.) — Danda opera est omnino, si possit, ut sin-

gulis consulatur, sed ita ut *ea res* aut proposit aut certe ne obsit rei publicae (CIC.) — *Res* quotidie mitiorem facit eum (CIC.) — Quod Apollon Pythius oraculum edidit, Spartam nulla *re* alia nisi avaritia esse perituram, id videtur non solum Lacedaemoniis, sed etiam omnibus opulentis populis praeditissime (CIC.) — Duo patrimonia accepit, *remque* praeterea bonis et honestis rationibus auxerat (CIC.) — Erat tuae virtutis in minimis tuas *res* ponere, de re publica vehementer laborare (CIC.) — Quae *res* (= defectus, vitium) etiam nonnullam afferebat deformitatem (CORN. NEP., *Agesil.*, VII) — In publicis rebus (= negotiis) nihil est lege gravius, in privatissimum est testamentum (CIC.) — Qum multae *res* in philosophia nunquam satis adhuc explicatae sunt, tum perdifficilis et perobscura quaestio est de natura deorum (CIC.) — Nulla *res* (= exercitatio) tantum ad dicendum proficit quantum scriptio — Hunc hominem tibi commendabo: *rebus* (= utilitatibus) omnibus eius consule — Inventio est excogitatio *rerum* verarum aut verisimilium, quae causam probabilem reddant; dispositio est *rerum* inventarum in ordinem distributio (CIC.).

c) Qum adiectivo peculiaris vis inest, permutatur saepe in substantivum abstractum.

EXEMPLA: *Ubertas* agrorum (CIC., *De dom.*, 77) — Libertatem vestram non *acerbitate* suppliciorum infestam, sed *lenitate* legum munitam esse voluerunt (CIC.) — Omni molestia *stultitia* adversarii liberatus est (CIC., *De Or.*, I, XXXVI, 166) — Abalienati *scelere* istius a nobis omnes reges (CIC., *Sign.*, XXVII) — Manibus cibi etiam *varietas* invenitur et *copia* (CIC.) — Videamus ne haec oratio sit hominum assentientium nostrae *imbecillitati* et indulgentium *mollitudini* (CIC.) — Superstitionis hominum *imbecillitatem* occupavit (CIC.) — Quis ignorat ii qui mathematici vo-

cantur quanta in *obscuritate* rerum versentur? (CIC.) — Hoc te rogo, ne contrahas aut demittas animum neve te obrui *magnitudine* negotii sinas (CIC.) — *Gravitas* dicendi (= eloquentia gravis) (CIC.) — Ut candelabrum videretur clarus, quum *pulchritudo* eius recens ad oculos hominum atque integra perveniret (CIC., *Sign.* XXVIII, 64) — Horum alter, nondum ex *longinquitate* gravissimi morbi recreatus, quidquid habuit virium, id in eorum libertatem defendendam contulit, quorum votis iudicavit se a morte revocatum (CIC.) — Animalia cibum partim oris *hiatu* et dentibus ipsis capessunt, partim unguium *tenacitate* arripiunt, partim *aduncitate* rostrorum (CIC.) — Quin tu id potius profers quam verbi *invidiam*, quam *contumeliam* maledicti? (CIC.).

d) Substantiva quibus locus, ordo, seu successio in spatio vel tempore significatur, fere in adiectivum migrant. Item nonnulla substantiva abstracta, quae vel pronome redi possunt.

EXEMPLA: In *extremo* libro tertio de hac parte pollicetur se deinceps esse dicturum (CIC.) — Contentio *nimia* vocis reciderat (CIC.) — Succumbere doloribus *miserum* (= miseria) est (CIC.) — Habere quae- stui rem publicam non modo *turpe* (= turpitudo) est, sed *sceleratum* (= scelus) etiam ac *nefarium* (= nefas) (CIC.) — Tunc animus *consummatum* habet plenumque bonum sortis humanae (SEN.) — *Praepotens* Carthago Romano imperio imminebat (CIC.) — Prima luce, *summus* mons a Labieno tenebatur (CAES.) — Caesar Alesiam circumvallare instituit. Ipsum erat oppidum in colle *summo*, cuius radices duo flumina subluebant (CAES.) — Prima Gallorum praelia plus quam virorum, *postrema* minus quam feminarum (TIT. LIV.) — Cameli bisulcus est pes *imus* (PLIN.) — Ex *intima* philosophia haurienda est iuris disciplina (CIC.) — Germani *reliqui* se in flumen *praecipitaverunt* (CAES.) —

*Reliquum Caesaris nomen enuntiare non potui (APUL., Metam., III, 27) — Cancer media urbe aedificatur (TIT. LIV.) — Aquila in sublimi queru nidum fecerat; feles cavernam nacta in media pepererat; sus fetum ad imam posuerat (PHOED.) — Conon extremo Peloponnesio bello praetor fuit (CORN. NEP.) — Illis benignis (= illorum benignitate) usus est (CIC., Sign., III, 6) — Ex ultima urbe deductum venire solemus (CIC., Mur., 33, 69) — Propter excellentem artem, videbatur mori non debuisse (CIC., Arch., 8, 17) — Una domus (= unitas domus), communia omnia (= communitas omnium rerum) (CIC.) — Ius aequabile (= aequabilitas iuris) (CIC.) — Summos cum infimis pari iure (= paritate iuris) retinebat (CIC.) — Serum est cavendi tempus in mediis malis (SEN.) — Hortensium vivum amavi, Crassum non odi mortuum (CIC.).*

e) Pro adverbio non raro adiectivum aut participium usurpatum.


*EXEMPLA: Socrates venenum laetus et libens hausit (SEN.) — Veniam meretur qui imprudens nocuit (QUINT.) — Posteaquam victoria constituta est ab armisque recessimus, Roscius frequens Romae erat (CIC.) — Hac de causa constituerat prior praelio non lacescere (CAES.) — Scaevela solos novem menses Asiae praefuit (CIC.) — Non moriemur inulti (VERG.) — Insciens feci (TER.) — Qui invitus servit, fit miser, servit tamen (SVR.) — Perficite ut is quem vos ad mortem inscii misistis, immortalitatem habeat a vobis (CIC.) — Socrates eam orationem non invitus legit (CIC.) — Quid hoc iniustius quam nos, inscientibus iis qui bellum gerunt, de pace decernere: nec solum inscientibus, sed etiam invitis (CIC.) — Ferte citi flamas (VERG.) — Lucretiam sedentem moestam in cubiculo inveniunt (TIT. LIV.) — Pauci taciti probabant constantem fidem (TIT. LIV.) — Si non omnia caderent secunda, fortunam industria esse sublevandam dixit*

(CAES.) — Diversi consules discedunt (TIT. LIV.) — Rari magnisque intervallis praebebantur (CAES.) — Coelius fuit assiduus mecum (CIC.) — Te auscultabo lubens (TER.) — Quaeso ignoscas, si quid stulte dixi atque imprudens tibi (PLAUT.) — Leonidas, rex Spartanorum, securis Persis supervenit (IUST.) — Nec corpori soli subveniendum est, sed menti atque animo multo magis (CIC.) — Tendentem ad moenia Romanae coloniae Hannibalem lenti spectamus (TIT. LIV.) — Quas victi ab hostibus poenas meruerant, eas ipsi volentes pependere (SALL.).

f) Pronominis imprimis relativi locum tenere potest adverbium aut coniunctio.

*EXEMPLA: Mihi fontes unde hausistis demonstrate — Nervii mulieres in eum locum coniecerunt quo propter paludes exercitui aditus non erat (CAES.) — Ad sunt Athenienses, unde humanitas, doctrina, religio, iura, leges ortae atque in omnes terras distributae putantur (CIC.) — Nullo opere emunitus erat locus, ubi ipsius loci praesidio satis creditum foret (TIT. LIV.) — Saguntum vestri circumsident exercitus, unde arcentur foedere (TIT. LIV.) — Themistocli Artaxerxes Lampsacum donarat, unde vinum sumeret (CORN. NEP.) — Astapenses locum in foro destinant, quo pretiosissima rerum suarum congererent (TIT. LIV.) — Nihil tam alte natura constituit quo (= ad quod) virtus non possit eniti (Q. CURT.) — Omnes colles et loca superiora, unde despectus in mare erat, ab exercitu tenebantur (CAES.) — Si tempus est ullum iure hominis necandi, certe illud est quum vi vis illata defenditur — Multae res eum hortabantur quare (= quibus propter quas) sibi eam rem cogitandam et suscipiendam putaret (CAES., Bel. gal., I, 33) — Multas res novas in edictum addidit, quare luxuria reprimetur (CORN. NEP.).*

I. JSS.



## NONNULLA AB ANDREA CRICIO CARMINA

Lectores Aliae Romae de vita huius poetae, qui aurea aetate litterarum Polonicarum florebat, breviter edocere haud absurdum esse arbitror.

Andreas Cricius, cui Polonicum nomen Krzycki est, illustri familia ortus, in vico Maioris Poloniae nomine Krzycko sexto die iulii 1482 in lucem editus est. Litterarum elementa Cracoviae optime didicit, deinde Bononiam se contulit, ubi per egregios magistros tantas in litteris accessiones fecit, ut decus disciplinae humanitatis effloresceret. Anno 1504 in patriam reddit et cursum vitae ecclesiasticae ingressus ad summas dignitates ascendit. Nam Sigismundus primus, rex Poloniae (1506-1548), anno 1522 episcopatum Premisliense ad eum detulit, eumque quinque annis post episcopum Plocensem nominavit.

Magnas quoque partes in re publica egit, praesertim cum anno 1516 ad aulam regis vocatus et in numerum amanuensium regalium receptus esset. Quo igitur officio functus multa et gravia negotia expedivit. Inter cetera bis in Hungariam a rege missus est dissensiones interiores dirempturus; anno 1526 cum rege ipso in Borussia moratus est, ut seditionem Gedani ortam componeret. Itaque anno 1535 exeunte singulare praemium meritorum variorum ei contigit, cum ad honorem primatis Poloniae promotus est. Sed vergente vita duos vix annos archiepiscopatum Gnesensem obtinuit. Nam Cracoviae versatus quodam valitudinis genere temptari coepit. Morbus ingravescebat, quum medicus artis suae imperitus falsam medendi curam ad eum admoveret. Sic Cricius fato immaturo cessit decimo die maii 1537. Opera eius poetica diligenter collecta per Casimirum Morawski anno 1888 Cracoviae in publicum emittebantur. Qua ex editione haec, quae sequuntur, specimina deprompsi.

## AD SPIRITUM SANCTUM

Adsis, optime Spiritus,  
Qui mentes hominum fingis et excitas,  
Verus qui Deus de Deo  
Par patri et soboli numine promicas.  
Nostros nunc animos tuis  
Illustra radiis vereque protinus,  
Errorum ut nebulis procul  
Iussus perspiciant et faciant Dei,  
Hoc fidant, penitus sibi  
Diffisi, hunc et ament et metuant patrem,  
Hunc praeter nihil expetant  
A quo perpetuo cuncta fluunt bona.

## AD SACERDOTES, UT ATTENTE ORENT

Non tantum labiis, sed tota mente, sacerdos,  
Orandum est, validas si cupis esse preces.  
Spiritus est vocemque Deus non audiet oris  
Ex animi vera ni pietate fluat.  
Spes tamen et robusta fides accedat ad illa  
Omnia, quae recta cum ratione petes.  
Sic nobis facile vel maxima quaeque dabuntur,  
Nemo sed impura sumpserit illa manu.

## IN ELEVATIONE CORPORIS CHRISTI

Christi corpus ave, de sancta virgine natum  
Viva caro, deitas integra, verus homo,  
Salve vera salus, via, vita, redemptio mundi,  
Liberet a cunctis nos tua dextra malis.

## IN ELEVATIONE CALICIS

Christi sanguis ave, caeli sanctissime potus  
Unda salutaris, crux nostra lavans,  
Sanguis ave lateris Christi de vulnere sparse  
In cruce pendens, unda salubris ave.

## IN LAUDEM MUSICAE

Salve laetitiae genetrix, divina voluptas,  
Musica, te longe pallida cura fugit.  
Te sine Dis meriti nunquam bene dantur hono-  
[res],  
Et sine te faciunt Martia corda nihil.  
Tu tristem exilaras animum lenisque furentem  
Membraque sollicito fessa labore levas.  
Tu miserum duro solaris compede vinctum,  
Solaris tumidis quem mare portat aquis.  
Tu iuveni saevae demulces corda puellae,  
Tu silvas, pecudes, flumina, saxa moves;  
Atque ut testantur doctorum scripta virorum,  
Caelestes cursus musica sola regis.

Hindenburgii scriptis

HANS LIS,  
studiorum consiliarius.

## NOSTRA RES

### Ad renovandum latinae linguae usum

JOSEPHUS HOLZER, Monachipratensis,  
Almae Romae sociis et lectoribus humanis-  
simis.

Est paene annus, cum Andream Avenari-  
um, presbyterum Societatis Verbi Di-  
vini, strenuum illum Latinitatis propugna-  
torem, de rerum antiquis ignotarum nomi-  
nibus Latinis conveni. Ne vero voces, quas  
identidem per litteras elicui, situ confice-  
rentur neve comedenterunt tineis, Avena-  
rius noster rogavit me pudice, ut voca-  
bula a se fabrefacta Almae Romae lecto-  
ribus exhiberem. Quae res certe erit com-  
pluribus grata atque iucunda. Idcirco li-  
benter Avenario obsecutus sum in gravi  
consilio. Ne vero diutius vos, lectores hu-  
manissimi, detineam praeftatione longius-  
cula, en vocabula ab Avenario ingeniose  
facta:<sup>1</sup>

#### GENERA AUTOMOBILUM

*Limousine* — covinus digus.

*Kabriolet* — cisum digum.

*Omnibus* — diga publica.

*Rennwagen* (*bolide seu voiture de course*  
gall.) — diga cursoria.

*Rundfahrtwagen* (*torpedone* ital.) — diga  
circumvaga.

*Gesellschaftswagen* — sodalicia(ria) diga.

*Sportwagen* (*vettura da sport* ital.; *voi-  
ture de sport* gall.) — diga gymnicis, vel  
gymnicorum.

#### PARTES DIGAE

1. *Abwinker* (*indicatore di direzione*  
ital.; *flèche mobile* gall.) — gnomon, indi-  
cultur viae s. regionis. (Hoc indiculum est  
regionale).

<sup>1</sup> Vocabulorum hunc indicem edentes, non quidem  
eum in nostrum usum assumere intendimus; sed tan-  
tum sociorum lectorumque menti proposita vocabula  
subiiciere et ad eorum disceptationem invitare. — A.R.

2. *Anlaker* (*motorino d'avviamento; dé-  
marreur*) — incitabulum. Clavis incitatio-  
nis s. clavis expeditoria est *Startochlüssel*,  
id quod Galli *clef de démarrage* dicunt.

3. *Autrieb* (*traction gall.*) — tractura.

*Heckantrieb* (*traction arrière gall.*) —  
tractura postica.

*Vorderradantrieb* (*traction avant*) — tra-  
ctura antica.

4. *Armaturenboett* (*tableau de com-  
mande gall.*, s. *planche de bord; crusotto*  
ital.) — armamentaria tabula.

5. *Benzinmesser* (*indicatore di livello*)  
— mensorium, vel mensurale benzini.

6. *Bremse* (*frein gall.*; *freno* ital.) —  
frenum.

*Freno a piedi* — frenum pedale.

(Frenum languet, frenum deficit, re-  
mittit, inutile est frenum).

*Die Bremse sitzt fest* (*il freno s'in-  
grana*) — frenum est implexum, vel im-  
plicetur denticulis.

7. *Bremshebel* (*leva del freno* ital.) —  
trudis, vel phalanga freni.

8. *Chassis* — replum, cautherius, tex-  
tum.

9. *Defferential* (*différentiel gall.*; *gruppo*  
*differenziale* ital.) — aquamen rotationis,  
aequatio vel exaequatio.

10. *Elektrische anlage* (*impianto elet-  
trico* ital.) — instructura electricitatis.

11. *Federbänder* (*staffe* ital.) — vincula  
suspensurae.

(*Die Federbänder fest zu ziehen* (*tirare*  
bene a fondo le staffe)) — vincula suspensu-  
rae arte astringere.

12. *Gang* (*vitesse gall.*; *velocità* ital.)  
— velocitas.

Temperantur autem velocitates com-  
mutatoriis (*Ishaltebel*, *levier du change-  
ment de vitesse*) — Autocineta solent ha-  
bere ternas antegradationes, singulas re-  
gradationes vel potius retrogradationes,

quas Avenarius etiam progressiones ap-  
pellat. Inde: Da tertiam, solve, immitt  
tertiam! (sc. celeritatem vel velocitatem).  
Augeas vel minus censeo, intendas vel  
remittas, tollas vel premas velocitatem  
(*changer la vitesse*).

13. *Gangschaltung* — temperamen  
vel temperamentum celeritatis.

14. *Gashebel* (*pedalino dell'accelera-  
tore*) — pedamentum, vel pedamen gasi.

15. *Geschwindigkeitsmesser* (*compteur*  
de vitesse s. *tachymètre*) — tachymetrum,  
indiculum chilometrum.

16. *Getriebe* (*engrenage gall.*; *ingra-  
naggio* ital.) — per rotas dentatas tramotio.

17. *Kardanantrieb* (*cardan gall.*; *car-  
dano* ital.) — incitabulum cardanicum.  
(*Ad proximum numerum*).

Eugenium deinde Beauharnais novo iure  
augere constituit: Imperii cancellarium ma-  
ximum illum elegit ac tamquam adoptivum  
filium habere coepit. Sed antequam rem  
penitus decerneret, Lucianum fratrem ad  
se vocavit, monuitque ut duos filios, quos  
ille a Joubertou uxore acceperat, repu-  
diaret, si vellet suum in sua gente locum  
adipisci. Lucianus vero ignominiosam con-  
ditionem reiecit honoribusque valedixit po-  
tiusquam uxorem liberosque desereret.  
Tunc tandem Napoleon Eugenium alterum  
ab Italiae rege creavit.

His de causis primo Napoleonem inter-  
aque Iosephum fratrem discordia orta est;  
sed mulieres suae gentis nunquam a Cae-  
sare desciverunt. Carolina enim illi adu-  
labatur, ut nova praemia sibi et Ioachimo  
Murat inpetraret, Ludovica eadem molie-  
batur pro Baciocchi viro suo, mater deni-  
que ipsa Caesaris ut cognatis suis e gente  
Arrighi et Ornano, utilitates et honores lu-  
craretur, filium obsequio honestabat as-  
siduo.

Atqui Napoleon, ut pleno arbitrio here-  
ditatem imperii conferret, utque libere do-  
mesticas res disponeret, prouti publicas  
regebat, ad Hieronymum alium fratrem  
conversus est, quem iussit ex America  
proficisci, derelicta ibi uxore Elisabeth  
Patterson. Hieronymus tum primo animo  
anceps, tandem una cum uxore profectus,  
Europam quum tenuisset, Elisabeth in Ba-  
taviae litore dereliquit, atque ad fratrem  
se contulit, et post colloquium, quod cum  
eo habuit, Elisabeth in Americam remisit,  
ipseque navis praefectum officium et mu-  
nus, regalis dignitatis augurium, accepit.

Tunc imperator ira motus Ludovicum,  
Batavorum regem, vocavit, Italiaeque re-  
gnum una hac condicione ultro obtulit, ut  
sineret filium suum ab ipso Caesare ado-  
ptionis iure donari: Ludovico etiam re-  
nuente, Napoleon eum se amplius visurum  
negavit.

<sup>1</sup> Cfr. domesticam Napoleonis historiam Friderici  
Masson.

Interea Napoleon Pontificem exorabat,  
ut fratri nuptias irritas declararet, quippe  
quae cum ethnica muliere initae fuissent;  
at Pius VII eas plane legitimas inveniens,  
noluit Caesaris voluntati acquiescere. Inde  
factum est ut iterum ad Eugenium Caesar  
rediret velletque ut Augustam Bavarii re-  
gis filiam uxorem duceret. Invenit autem

paulo post coetum quemdam praelatorum illegitimum, qui Lutetiis advocatus male decrevit Hieronymi nuptias irritas, eique fas esse cum Würtembergensis regis filia (ecquid, nonne illa ethnica erat?) ad novas convolare.

Honoribus interea et potentia suos cumulare omnes Caesar pergebat: Elisam Luncensem Ducissam fecerat, Iosephum Neapolitanorum regem, Murat Bergensem et Clèves Magnum Ducem, Ludovicum Battavorum regem, Paulam Guastalliae urbis principem; Fesch, purpuratum patrem, ipsius avunculum, Germaniae primatem dixerat.

Sed tot beneficiis male partis ingratum passim gentis animum Caesar videbat: Neapoli Iosephum fratrem nonnisi venationi et voluptatibus intentum; Ioachimum Murat invidia passim flagrare; Ludovicum in Batavia nova amentia correptum stulte agere, velut si quis illum passim persequeretur; Hieronymum aere alieno in dies graviore obrui. Itaque tamquam hians Dannaidum dolium facta ea gens videbatur, quo pecuniae et milites continuo atque inutiliter demergerentur: Haga civitas in perduellionem exsurgebat; Cassel cuiusvis oboedientia iam solvebatur. Brevi Murat atque Iosephus contendere ad invicem de Iberiae regno coeperunt, suaequae tantum ambitionis solliciti regni fines tueri oblii sunt: Eugenius unus Caesaris dignus filius virtute et fide manebat, quare Venetiarum principis titulo a Caesare honestatus est. Re quidem vera anno MDCCXIX gloria onustus e bello rediit, neque facile Caesar alterum in sua gente tot virtutibus cumulatum invenisset. Ambitio enim atque aemulatio animos praecipue mulierum seiunxerant; nam neque Iulia, aut Hortensia, aut Elissa, aut Carola quae sibi cupierant obtinuerant.

Quin etiam a rebus pessimi exempli ne ipse quidem Caesar abstinuit, qui Iosephinam uxorem e matrimonio remisit. Ca-

rolo puero sibi demortuo, colloquio cum Russorum Caesare apud Tilsitt habito, cupiditas heredis e certa regali Europaea domo habendi Napoleonem tenuit. Igitur ad Absburgenses conversus, quem Metternich assentientem praenovisset, Iosephinam per filios ipsos monendam de divertio curavit. Ceterae gentis mulieres eius fortunae invidentes rem gratissimam habuere, quae ne viris quidem adversa fuit. Murat enim atque Hieronymus Eugenium aperte aemulabantur; Carola Hortensiæ, Iosephinae filiam, vehementi odio prosequebatur, Napoleonis mater Iosephinam ipsam tamquam imperatricis titulo insignem sibi praeferrì aegre tolerabat. Divortio a coetu Lutetiensi, cui Fesch ille praerat, rato habito, Napoleonis gens Eugenii omnisque Beauharnaisiae gentis viatrix e veteri odio evasit. Brevis tamen triumphus! Vix enim post annos quinque videre fuit regalem heredem, quem tanopere omnes cupiverant, auxilio et amicitia destitutum ab omnibus, qui morituros pro eius iuribus sacramento sese spoponderant. Quae sane Caesari non contigissent, si suorum aemulationem negligens, Eugenium in proprium imperii heredem advocasset. Consilium hoc, si Napoleon iniisset, gratum ferme et Galliae et Europæ cessisset: ille contra, tam asper atque rigidus contra reges et fortunam, in suo animo imbecillis, talem se praebuit, ut eorum cupiditatibus et studiis facile fuerit noxie superatus.

A. C.

*Tempori cedere, idest necessitati parere, semper sapientis est habitum.*

CICERO.

*Conferto nostram longissimam aetatem cum aeternitate, et sic brevissima reperiatur.*

ID.

*Quis est, quamvis sit adolescens, qui exploratum habeat se ad vesperum esse victurum?*

ID.

## DE AËRIS TEMPERIE DEQUE MENTIS MOTIBUS

Inter aëris temperiem animique condiciones nexus quemdam interesse omnes propria sua experientia compertum habuere. Aestuante enim paulatim torrida canicula, quis est qui nervos sibi ad quemvis laborem veluti praecisos questus non sit, mentisque aciem inertem, obtusam?

Rem medicae artis studiosi viri attenta consideratione expenderunt, quorum placet responsa nonnulla referre, mali causam aperientia et praebentia fortasse iuvamina et, quamvis levia ac lenientia, remedia.

Atqui hodierna nervorum infirmitate, qua plurimi laborant, affectos quosdam reperiri constat, qui novo hoc malo certis temporibus vehementius corripiuntur. Gallicae disciplinarum Academiae, qui a secretis est, scripsit caniculae diebus, litteras innumeratas recipere solitum verbis adeo amentes, ut cistella harum fragmentis cito completeretur. Apud Germanos, Anglos, Americanos eadem occurunt, quae quum quotannis redeunte ad amussim solis statione ubique simul evenire videantur, tot amentium litterarum concordem veluti copiam sub torrido dio erumpentem non sine communi causa conflari deprehendimus.

Nec ad ea quidem opponere licet exiguae huiusmodi epistolas esse et plerumque non iteratas, ut mentis vitium denerari possit; facta enim et specie et numero contra loquuntur. Mercier, in Tigurino pago eximius medicus, abhinc annos aliquot uberi messe ex Helvetia exque America ea collegit, delineatisque tabulis, aëris temperiem cum animorum motibus arcto vinculo nexas ostendit. Quae autem ille phoenomena enucleavit, per quindecim usque annorum spatium examinata atque adnotata feruntur atque ex nosocomiis oblata Burghölzli (Tiguri in regione), Wa-

Bau (in Bernensi), Koenigsfelden (in Argoviensi), Saint-Pirminberg (in Saint-Gall), Cery (in Valdensi). Haec autem loca montibus et agris distinguuntur, ad orientem vel ad occasum prospiciunt, montana pariter sunt atque in planitiem deducta. His itaque in nosocomiis quinque per annos adnotatum est uno semper eodemque mense mentis aegrotos numero maximos exceptos esse, eorumque gravissimas stultias effervesce.

Quando immo ceteri morbi, ut solet aestivo tempore fieri, exiguae plerumque victimas mactant, tunc animae contra amantes motus et stulti fervores maxime erumpunt. Atqui si locorum meteorologia, vel aëris condiciones examinentur, ipsius aëris udorem maxime ad haec efficienda conferre patebit. Quem quum altius suæ fistulae dimetiuntur, quumque caloris et tempestatum mensurae magis incertae videntur et quodammodo solutae vagare, amentium ingressus in hospitia constanter augentur.

Idem de miseris, qui sibi mortem comparant, praedicant, quos Mercier supputavit decembri et ianuario mensibus perpaucos esse, at maio mense et iunio plerosque semper dinumerari.

Sed et scelestia cruenta clade crimina iisdem legibus subiecta videntur, si Carolo Linney credamus, qui pleraque tunc patrari animadvertisit quum aëris uodor ordinariam condicionem exsuperat. Ianuarius, februarius, martius menses decem et octo pro unaquaque centuria ex totius anni minimibus sibi avocant (18%), aprilis contra, maius, iunius menses viginti duo (22%), iulius, augustus, september menses tringinta et unum (31%), october, november, december menses viginti et sex (26%).

Qui inter nordica Americanarum civitatum foedera publicae valetudini prospiciunt, eadem inquirentes similia de mentium praecipue et nervorum morbis arguerunt et docuere. Tradidit enim, qui maxime in rem impedit, Becker doctor, huiusmodi aegro-

torum, pariterque scelestorum hominum maximum numerum ferventioribus iulii et augusti mensibus excrescere.

Ex quibus concludere licet, aliquid saltem, neque levis forte ponderis, in huiusmodi observationibus latere, quo inter animi cerebri motus aërisque temperiem, causa atque effectus ad instar, quoddam vinculum intercedere posse dicamus.

R. S.

## AD SANITATEM TUENDAM

### De signis prognosticis

Praemitti hic debent signa « cruditatis » et « coctionis », quae basis sunt et fundamentum omnis prognoseos. Desumuntur autem :

I) ex urina, quae sanguinis et lymphae constitutionis, nec non modi secretionis et gradus fermentationis est nuncia;

II) ab alvi excrementis, quae non solum de chylificatione et digestione in primis viis, verum etiam de ipso sanguine lympham ad glandulas intestinales, tum maiores, tum minores transmittit, esse testantur;

III) a sputo et saliva, quae index etiam est dispositionis sanguinis et lymphae in pulmonibus et glandulis tracheae collectae.

Signa mortis et salutis petuntur a respiratione, quae quo liberior, eo melior; a decubitu, qui quo minus a consueto recessit, eo maiorem spem de salute recuperanda facit; a pulsu, de quo alias diximus;<sup>1</sup> a sudoribus, qui si largius cum pulsu magno profluxerint, boni iudicantur; a morbi tolerantia, quam ex quiete et inquietudine facile cognoscimus; a facie denique et oculis.

Signa « critica », sive quae subitam ali-

quam mutationem et insolitam in fluidis turbationem indicant, sunt insolitae apparentiae in partibus, actionibus vitalibus et animalibus, nec non excretionibus, dicatis, observabiles, cum symptomatum citra causam aliquam manifestam ingravescientia.

Signa morborum tempora indicantia desumuntur in genere :

I) ex indole et natura ipsius morbi; sic quo profundius sanguis turbatus fuerit in sua mistione, eo brevior futurus erit morbus. Et quo maior aderit humorum fermentatio et confusio, eo velocius tendet morbus ad statum;

II) a sanguinis constitutione, qui quo magis activis et fermentescibilis gaudet particulis, atque fortiori movetur aethere, eo brevior erit morbus. Sin vero ad visciditatem et frigidam intemperiem inclinaverit, diuturnioribus torquebitur morbis;

III) ab anni tempore: sic morbi aestivi breviores sunt hyemalibus, quod in illis copiosior aether sanguinis perfluat, et fluida fortius et potentius premantur in illis, quam in his;

IV) a regionibus: hinc in calidioribus morbi sunt breviores, longiores in frigidioribus;

V) a victu antecedente: victus calidior sanguinem et lympham reddit fluidorem; victus frigidior obstructionis et visciditatis auctor est, sicque longiores efficit morbos;

VI) a virtute: quo consuetus aether potentior, eo magis resistet aetheri insueto; sin autem insolitus potentior fuerit, brevi consuetus dabit manus. Hinc facile explicari potest, quomodo virtus fortis in morbo non letali morbum brevem, debilis longiorem significet; et quare in morbo letali virtus fortis morbum longiorem, debilis breviorem faciat;

VII) a paroxysmorum accessionibus, anticipatione vel postpositione. Paroxysmi stata tempora servantes morborum longum aperiunt; si posterior anticipet, sed priori brevior sit, bonum est; sin longior sit

priori, morbi longitudinem portendit. Iterum: si posterior paroxysmus posticipet et tardius revertatur, priori autem brevior et mitior sit, bonum est; sin longior fuerit, index est diuturnitatis morbi, quia humores magis viscidos et terrestres factos esse indicat;

VIII) a symptomatibus: si graviora fuerint, morbum quidem brevem, sed ancipitem indicant; si mitiora una cum signis coctionis apparuerint, morbum imminui significant;

IX) a cruditate et coctione: quum enim fluida medicari debeamus, palam fit quod quo citius signa coctionis appareant, eo brevior futurus sit morbus.

\* \* \*

Quamvis eventum morbi tum ex collatione symptomatum cum viribus aegri « idea », in genere quidem, divinare possumus, maiorem tamen certitudinem haurimus a laesis actionibus, ab excretis et retentibus qualitatibus mutatis; quare omnia recensebimus.

Omne delirium malum quidem est, sed non aequae periculosum. Nam si fuerit leve, non continuum et cum respiratione libera (quae in acutis potissimum consideranda) tutus erit; sin reliqua symptomata fuerint graviora, si respirandi difficultas, convulsiones et alia adfuerint, magnum portendet periculum.

« In quovis morbo animo bene valere, ac rebus convenienter datis gaudere, bonum; contrarium vero, malum » (2 aph. 33). In iis enim morbis, in quibus cerebrum afficitur, ratiocinari, imaginari, reminisci, sine ulla verborum absurditate, sine indecora corporis compositione, sine morum dissimilitudine et praesentis laboris indolentia suo fungi officio, alimenta assumere, foeces excernere, omniaque illa, quae ad oeconomiae animalis integratatem conservandam spectant, ex voto peragere, bonum est.

Desipientiae quae circa necessaria fiunt, pessimae sunt; desipientia cum difficultate spirandi, sudore, oculorum rubidine et motibus tremulis artuum, mala; desipientiae quae iam admodum fractis et debilitatis viribus succedunt, pessimae sunt (HIPPOCR.).

Oblivio subito exorta mala est; oblivio post epilepsiam vel apoplexi pessima.

Somnus in morbo laborem afferens, malus est (HIPPOCR.). Dicitur autem laborem afferre qui interruptus et turbulentus, cum terroribus et corporis iactatione; quando aeger post somnum deliranti similis, vel de maxima lassitudine et virium prostratione conqueritur.

Exitiosum est, ubi aegrotus ore hiante assidue dormit (HIPPOCR.).

Sopor in principio morbi malus est; indicat enim malignitatem, hoc est profundam sanguinis mistionis turbationem; unde cerebri tubuli et plexus choroidei pori obstruantur, ipsique spiritus animales parcus generantur. Malus quoque est in statu morbi, et spiritum defectum praenunciat.

Vigiliae in acutis, exceptis iis, quae instantem mutationem criticam comitantur (nam quibus crisis sit, nox quae accessionem praecedit gravis) malae sunt.

In his qui propter imbecillitatem non vident, nec audiunt, aut quibus labrum, oculus aut nasus pervertitur, mors denuncatur (HIPPOCR.).

Surditas, quae in acutis critica fit, bona est. Mala est, quae per intervalla in acutis observatur, et quae citra crisin evenit.

Qui citra febrim aurum tinnitus, capitis doloribus aut tenebrisca vertigine et vocis tarditate manuumque stupore tentantur, in iis aut siderationem aut morbum comitiale, aut etiam oblivionem sperare (HIPPOCR.).

Dolorem in aliqua parte non sentire, malum est (HIPPOCR.); dolor diutius durans in parte aliqua abscessum praenunciat.

In febribus circa ventriculum vehemens

<sup>1</sup> Cfr. fasc. mens. martii MCMXXXVII, pag. 50.

aestus et cordis morsus, malum (HIPPOCR.).

Omnis *subita*, etiam quae ad melius appetat, *mutatio* est periculi plena.

*Lassitudo* citra causam manifestam prodromus est febris. In acutis periculum minatur. Si corpus omne grave est, et manus ac pedes, periculosum est (HIPPOCR.).

*Convulsio* nunquam caret periculo. Quae plures partes, et in primis cerebro viciniores, occupat, queaque respirationem difficultem reddit, et interruptam, maiori cum periculo est.

*Spasmus* a vulnere, ileo, haemorrhagia, pessimae est notae.

*Singultus* in acutis pessimus; *tremor et horror malus*.

*Rigores*, post quos corpus non incalescit, exitiosi sunt in acutis. Si alternt cum calore, monstri quid alunt, et malignitatem indicant.

Malum est supinum *iacere*, cruribus erectis, vel vehementer contractis; pessimum vero est ad pedes delabi, nullamque decubitus formam servare (HIPPOCR.). Omnis insuetus vel indecorus decubitus exitium in acutis portendit. Malum est, si aeger locum ac decubitum assidue mutet.

*Anxietas* in acutis mala.

*Aphonia* ex laesione cerebri pessima (HIPPOCR.).

*Vox tremula vel clangosa* perniciosa.

*Qui saepe et vehementer sine causa manifesta animo linquuntur*, ii de repente moriuntur (HIPPOCR.).

*Lypothimia* in malignis summum portentit periculum.

(*Ad proximum numerum*).

I. WALDSCHMIDT.

*Lingua sub magni moderaminis moderatione fraenanda est, non insolubiliter obliganda, ne aut laxata in vitium defluat, aut restricta etiam ab utilitate torpescat.*

S. GREGORIUS.

## ANNALES

### Germanici Ducis in Italiam adventus

Die III sup. mens. maii Germanorum Dux Hitlerus in Italiam venit, maximis honoribus et sollemnibus ubique, et praesertim Romae, Neapoli et Florentiae, exceptus. In orationibus illis diebus ab ipso, ab Italorum rege et a gubernii Praeside Mussolini habitis, in singularem lucem prollata est amicitia et socia duarum nationum opera ad pacem intenta, quam paucis diebus post Mussolinius Genuae confirmavit: pacem vero addidit, quo tuta fiat, armis instructam esse oportere, ut scilicet populi ad eam defendendam sint parati.

### Discrimina

Profecto tranquillitas ordinis in discrimen quotidie fere adduci videtur. Ne de Hispania dicamus, ubi bellum civile indesinenter flagrat, neque victoriae, quae a « Nationalistis » reportantur — (procedentes enim inter Iberum et Turiam flumina Gorbalan, rei Communistarum occidentale caput, occuparunt, ultraque inde, itemque etiam a Teruel progressi sunt) — satis compescere valuerunt; neve plura verba de bello inter Iaponiam et Sinas faciamus — (satis sit Iaponiorum in dies successus, capta Suchow, adnotare) — nova seditio in Brasilia exorta est, per quam rebelles conati sunt, sed feliciter frustra, ipsas Praesidis Vargas aedes in civitatis urbe capite Rivo Ianuario invadere.

Sed Europaeorum animos magis inquietos tenet Celoslovachiae status, ubi Sudeti Teutones agitantur. Quae in eorum conventu, de quo in superiore eventuum recensione nostra mentio incidit, requisita sunt, minime probabilia reipublicae administris visa fuere; hinc partium contentio, copiae subsidiariae ad arma vocatae, finium ab excursionibus aucta tutela. Neque satis: Hungarici quoque cives iura et pro se re-

petunt. Res itaque periculorum plena, quam Anglia praesertim et Gallia cohortationibus et intercessione sua propulsare enituntur atque contendunt.

### Nationum Societas

In postrema Supremi Societatis Nationum Consilii sessione, rata habita est Anglorum propositio, ut libera cuique foederatarum nationum facultas esset iudicandi de Aethiopica quaestione. Animadversendum est prope iam quadraginta nationes recognovisse Italicum imperium illic constitutum.

POPLICOLA.

## VARIA

### Humanitatis exemplum plus aliquando potest quam magnae vires<sup>1</sup>

Quum Furius Camillus Faliscos aliquandiu obseditset, et commissis aliquot praeliis voti compos esse non posset, accidit ut Paedagogus quidam, cui demandati erant Principum civitatis aliquot liberi, eos exercendi ludendique causa, ante urbem, ut pacis tempore consueverat, produxerit. Quos ubi variatis sermonis lusus a porta longius solito abduxisset, ubi res dedit, progressus inter hostium stationes, in castra Romana ad praetorium Camilli perduxit. Atque hic Faliscos se in manus Romanis tradidisse inquit, quando eos pueros, quorum parentes capita ibi rerum sint, in potestatem dederit. Quae ubi Camillus audivit, non ad similem — inquit — tui nec populum nec imperatorem sceleste venisti cum scelesto hoc tuo munere. Denudatumque eum, manibus post tergum religatis, reducendum

<sup>1</sup> Ex NICOLAI MACHIAVELLI opere: *De republica disputationes ex prima decade T. Livii latine vertit H. BINDI.*

Falerios pueris tradidit: virgas eis, quibus proditorem in urbem agerent verberantes, dedit. Ad quod spectaculum concursu populi primum facto, deinde a magistratibus de re nova vocato senatu, tanta mutatio animis iniecta est, ut qui modo efferati ira odioque adversus Romanos essent, legatos ultro ad poscendam pacem et dedendam urbem ad illos miserint. Egregium sane exemplum, quo discere queamus, iustitiam fidemque aliquando magis commovere homines, quam ulla vires aut bellicae machinae id possint praestare, ut urbes, quae tantis viribus occupari nequierint, humilitate fideque hostium permotae, portas ultro aperuerint.

Neque vero desunt in historiis alia quoque huiusmodi exempla. Nam quum etiam Pyrrhus armis Romanorum ex Italia depelli non posset, Fabritii liberalitate recessit, postquam nimirum ostendisset, quantum pecuniam repudiasset, quae offerebatur a Pyrrhi familiari, ut illum veneno toleraret.

Scipioni Africano quoque nequaquam peperit tantam gloriam Carthago nova subito occupata, quantam attulit liberale illud facinus, quo captam Alluci, Celtiberorum Principis, sponsam inviolatam sponso restituit. Nam ad illius rei nuncium universa Hispania commota est, et populi romani iustitiam fidemque colere coepit. Est enim apud omnes gentes ita comparatum, ut viri magni atque excellentes iustitiae cultum ament, liberalitatem fidemque expetant; quo fit ut philosophi in doctrina de moribus et vitae politicae institutione eadem haec semper inculcent; et in describenda Principum vita historici hoc unum videntur ante oculos positum habere, ut si quem laudare velint, cum iisdem hisce virtutibus exornatum fuisse demonstrant. Xenophon sane in eo maxime laboravit, ut ostenderet Cyrum multas victorias humanitate et familiaritate quadam naturali comparasse, et quod a superbia, luxuria, crudelitate, ava-

ritia ceterisque huiusmodi vitiis, quae humanam vitam contaminare solent, abstinerit.

### Haedulus et Vultur

*Primas qui fert malis innixus artibus  
Dum quaerit nomen, contumeliam invenit.  
Opilio per montes cum pasceret pecus  
Petulco suebat haedulo colludere,  
Tulit quem secum laetus in ientaculum  
Tesquorum in rupem: nec mora est: pulsa  
[fame]  
Haedum relinquit et visum redit gregem.  
Dum cruribus stat fultus in cacumine  
Cervice arrecta corniger et infama  
Vallis collustrat oculis latitudines,  
Hunc vultur alto e caeli despicit tholo:  
«O lentis has qui exilis hirci filius  
Venisti in arces, alitis regnum Iovis?»  
Fallax cui contra quadrupes: «Impervia  
Cursu voravi cornibus iuvantibus».  
Ictu mendacem muto rapax verberat  
Laniatque vindex turpe probrorum glomus.*

### Deses

*Tribuit iners contemptum tempori haud sibi  
Utram volare in os ratus ficedulam.  
Cubat dum ignavus culcitis in mollibus  
Secum volutat duri corde haec temporis:  
«Fatum mihi instat triste ab incunabulis».  
Docebat Spartae me magister parvulum  
Coluisse canos vulgus certatim et patres;  
Onusque aetatis haec levabat recula.  
Heu dum senesco mutantur fabre vices  
— Iuventa! — et orbis — eia — totus per-  
[sonat].  
Cunctis sic spretus alternis opprobriis  
Scelesti pascor, dum aetas labitur mea  
Nec ulla restat, ni mortis iam specula.*

M. GINOTTA.

### Pro iudicibus mensarum elegantibus

#### ESCARUM ORDO:

*Stellulae herbaceae in iure vagantes.  
Gadus merlucius elixus, Magonensi em-  
bammatte ornatus.  
Pisi ad pernam.*

*Cuniculus assus, cum solanulis tube-  
rosis.*

*Fraga mulso madida.*

### locosa

Magistro TUCCIUS:

— Verumne est, aërem liquidum exi-  
stere?  
— Profecto ita.  
— Et quibus indicis moneamur eum  
afflaturum, ut umbella praemuniamur?

Pater TUCCIO:

— Heus tu, infudistine novam aquam  
rubeis piscibus in piscinam?  
— Nondum, pater; non enim adhuc bi-  
berunt, quam ipsis duobus ante diebus  
suppeditavi.

### Aenigmata

#### I

Una quidem sum vox, sed duplice praedita:  
[sensu:  
ferrum acuo, Sporadum sum quoque grande  
[decus].  
Mutatur mea frons? Fio praenuntia solis  
et croceo decoro lumine mane polum.

#### II

Alma quies et fausta salus per me redit orbi.  
Principium nuta! Lumina taeda dabo.

FR. PALATA.

Aenigmata in superiore fasciculo propo-  
sita his respondent: 1) Lex-Nex; 2) Massa-  
Nassa.

#### IMPRIMATUR:

† Fr. ALFONSUS C. DE ROMANIS Ep. Porphyreonen.  
Vic. Gen. Civitatis Vaticanae.

Dr. JOSEPHUS FORNARI, Moderator, Sponsor.

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS

## REGULUS

[27]

### ACTIO DRAMATICA HENRICI JOSEPHI COLLIN

(In Latinum convertit VALENTINUS FEHÉR).

CR. Pro certon tu istaec dicis? — SE. Ne doceas me plebem noscere;  
Vir etiam minimus Romae sibi videtur maximus,  
Ubi magnum quoddam facinus vel unum fecerit.  
Istuc hercle vides in passu, in voltu. Isti curant parum,  
Virne ille magni spiritus sub magnitudine  
Suorum factorum opprimatur. — CR. Ast amice, fatere sis  
Et Romanos et nos ab illo sustentari.  
SE. Ne tu, vir prudens, commutatus es. — CR. Fidem dedi.  
SE. Tuam sedem prope ad saepa oportet collocarier;  
Habes tu firmum pectus et valenter vox sonat.  
CR. Habeto sic: omnes hanc toto campo Martis audient.  
SE. Vidistin Valerium? — CR. Quietus in suo moratur praedio;  
Metellus fecit hoc opus. — SE. Nam etiam hoc restitit;  
Ergo etiam poplicola ille nos foede destituit?  
Iam sit in posteris tribuno, quoi lubet, auxilio,  
Ego tamen nunquam amplius redire domum velim.  
CR. Quiesce, Sexte; viden? celebrari campus incipit.

### SCENA II

MARCUS, SEXTUS, CRISPUS.

MA. Ibi venit Atilia, tam lente, ut vix movere se queat.  
SE. Illast; nunc consistit, quam acerbe torquet manus!  
CR. Eheu vide puellos caros et bonos, quam anxie  
Circa illam natinantur! — SE. Illorum miseria  
Sum maxima commotus; st, pax! proximant.  
CR. Pro di immortales! esse videtur torpida. — SE. Hei, recte torpida!  
Loco concedite, venire ut possit libere.

### SCENA III

ATILIA, SERANIUS, MUCIUS, MARCUS, SEXTUS, CRISPUS.

AT. Quo me, crudeles, ducitis? nam hic est campus Martius.  
Ego quid hic agam? — SER. Sic ipsa tu cupiveras.  
AT. Istuc malest. Defessa sum, Serani, maxume;  
Videsne mihi hic quietalem locum, licet dis sit sacer?  
Me duce, ubi sedeam; ne mihi invideas quietem fessis ossibus.